ECHO

IN INDOMITORVM ACADEMIA
ATTRIBVTAS LAVDES
EMINENTISSIMO PROTECTORI
IVLIO SACCHETTO
REPETENS.

Formata à Hieronymo Bendando
Monacho Caſinenſi
INTER INDOMITOS
ASSICVRATVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Bononiæ, Typis Io. Baptiſtæ Ferronij 1642.
Superiorum permiſſu.

ILLVSTRISSIMO DOMINO D. ALEXANDRO SACCHETTO.

AVdiſti (Vir Illuſtriſſime) de Fratre tuo Eminentiſſimo, Tutelari, ac Mæcenate ſuo Clementiſſimo, INDOMITORVM Academia quid ſentiat. Intimos vſq; Academicorum in tantum Heroem affectus inſpexiſti. Auge nunc tuæ Præſentiæ huic fauorem Conſeſſui, præſentis dignatione lecturæ. Hanc tibi, ab Auctore, inter ſuos INDOMITOS, virtute, doctrina, eruditione ſummo, efformatam, eiuſdem Academiæ Princeps offert, & dicat humillimus. Videbis (quod vix audiri ſolet) Felſineam Echo, maiora quàm in Lycæo

percæperit, minora quàm ipſa voluerit, ingenioſo Laconiſino referentem. Accipe libens, &, ſi quid fortè dictum audaciùs, apud Ampliſſimum Germanum excuſa. Nec enim tanti Principis effrętnes amore INDOMITOS facile eſt, tam ſpatioſo in campo, intra ſibi placitos moderationis limites continere. Munuſculum, qualecumque, æqui conſule, atq; boni; meq;, iamdudum Eminentiſſimi Fratris ſeruum, tui quoq; iuris eſſe, deinceps habeas exploratum. Vale. Bononiæ 12. Ianuarij 1642.

Illuſtriſs. T. Dominationis

Addictiſs. Seruus

Princeps Indomitorum.

AVCTOR LECTORI.

Indomiti Genio ſemper controuerſo
In controuerſiam induxere,
Quanam Virtus magis
IVLIO SACCHETTO
Non tàm Bononienſium Amorem,
Quàm obſeruantiam conciliarit.
Ad ſoluendum Problematis metam
Plures diſcurrendo nitebantur peruenire,
Curſu licet tranſuerſo.
Indomiti
Nunquàm leniùs, quàm amore tractantur,
Cui nihil indocile, nihil infrane.
Hinc, inde facundè diſſerentibus
Vicaria Felſinei Populi ſucceſſit
ECHO:
Virtutem æquè Amoris conciliatricē aperuit,
Atque obſeruantiæ Pronubam.
Si diſſenties,
In IVLIO SACCHETTO
Fuiſſe maiorem,
Conſentiet tecum,
Eſſe minorem.

V. D. Ludouicus Modronus Sacræ Pœnit. Rector pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. D. Principe Card. Columna Archiepiſc.

Imprimatur. Fr. Dominicus de Manfredis Doctor Colleg. & S. Inquiſitionis Conſultor pro Reuerendiſs. P. Inquiſit. Bonon.

ILLAM ME
Vocum vicem Vocem,
Quærulam antrorum næniam,
Inexorabilis (heu!) Narciſſi
Indolentem iniurijs,
Extremis accentibus mihi me demortuæ
Solitam exequiari
Audies Hoſpes,
Non de more miſeratus,
Sed miratus,
In ciuili receſſu reſpondentem
ECHO.

Parce ſtupore:
Sic natiuas deſolarunt ſolitudines,
Patria quoque deſerta
Deſeruerunt hæ Muſæ,
Vrbano hoc hoſpitatæ Parnaſſo.
Hic auſpicatiori exceptæ patrocinio
Tutelaris ſui, Apollinis ſui,
IVLII SACCHETTI
Vacant encomijs.

Par erat, recedente ſuo Phœbo Bônonia
Pegaſides INDOMITAS
Bononiam accedere,
Vbi regnante illo, illius laudes iubebantur
Vel ſilere, vel exulare.
Nunc vnius Clio
Munus obeuntes
Sorores cæteræ,
Muſagetem abſentem
Collaudauere licentiùs,
Mœſtorum vſæ priuilegio,
Suam inde conſolatæ mœſtitiam.

Audiſſes;
Illas præter Virtutes,
Quarum ſingulis fieret Heros,
Inauditas alias,
Quas niſi IVLIVS inuenerit,
Auxit.

Virtutum multitudini
E Muſæo quælibet ſe diſparem faſſa,
Vni

Vni ſoli laudandæ ſuffecta eſt,
Ne multis vna deficeret.
Intellige,
Facilius eſſe IVLIO egregia facere,
Quàm facundiæ eius facta congerere.

Exornationibus tamen perſuaſus conſenſiſſes,
IVLIVM, CAESAREM, AVGVSTVM eſſe
Quauis ſingularitate virtutis:
Maiorem peculiari virtute,
Quòd ſit pluribus Maximus:
Tantum vna, Quantum alia,
Quia qualibet Summus.

Sed
Quanam artis illecebra arctiùs
Bononienſium ſibi affectus illigarit,
Hæſiſſes, Hoſpes, incertus,
Et meritò.
Aenigma eſt hoc, non Problema;
Vate opus eſt Phœbo, non Interprete Muſa:
Dauum ſe fateretur Oedipus,

Nec auderet adiudicare,
Quod præuideret æternùm fore ſub lite.

Solius Populi diuinare conſueti
Conſultum Oraculum
Certiora reſpondebit,
Cuius ſententiam repetam
ECHO;
Et ſi pluſculum, quàm ſoleàm, loquax,
Ideo, quia multitudinem imitor eloquentem
Iſthæc.
Gratum quidem, ſed ſolis Sapientibus,
Quod Ptolemæi ſapientiam
IVLIVS exæquet;
Amabile, ſed bonis, quòd Ariſtidis Iuſtitiam,
Carũ, ſed egenis, quòd Alexãdri Liberalitatem,
Optatum, ſed reis, quòd Clementiam Cæſaris,
Iucũdũ, ſed humilibus, quòd Põpeij Comitatẽ
IVLIVS excedat.

At ſapientiam indocti ignorant amabilem
Iuſtitiam oderunt mali:

Clementiam non rogat inſons:
Liberalitatem diues ſubſannat:
Comitatem ſuperbus irridet.
Virtutes, quas poteſt vitium mentiri,
Vel non amantur, vel cautè.

Non amant, dum timent homines,
Ne crudelitas prodeat in publicum
Vultu induta Iuſtitiæ:
Dum pendent animi, ne Liberalitas donet
Extorquendi ſtudio,
Munera deteſtantur.
Vſque adeo benefacta maleficio ſimilia
Semper ſuſpecta, ſæpè deſpecta.

Vnam
Inuenies virtutem vitio inimitabilem,
A prauo immunem interprete:
Eſt hæc,
Officioſa in homines doctos affectio:
Hanc amarunt in IVLIO, & cum IVLIO
Bononienſes, quorum pars maior

Eſt docta.

•ſſ• •ſſ•

Gratiùs ergo, Cariùs, Optatiùs,
Singulis, Omnibus,
Quòd in eruditos Viros
Mæcenatis
IVLIVS SACCHETTVS
Munificentiam exuperet.

•ſſ• •ſſ•

Iſta Principis Virtus eſt,
Et Princeps:
Et ſi ſola ſit, ſufficit:
Sed quî ſola ſit, quam omnes comitantur?
Fallor: eſt ſine comitatu;
Eſt ſola, ſed multæ.
Dum Sapienti fauet,
Sapiens, Iuſta, Clemens, Liberalis eſt,
Eſt omnes Virtutes
Vna Virtus in alijs amandi virtutem.

•ſſ• •ſſ•

Hæc eſt, hæc mentium flexanima,

Quæ ſi amatores quærat,
Inuenit Religioſos.
Tanta in Amatore Virtutum
Forma Diuinitatis.

Politici Orbis Deus
Eſt Princeps,
Et colitur, ſed adiuturus virtutem:
Inutilis Numinis
Deficit cultus in Populis
Vſque ad Atheiſmum.

Amor ſubditorum in Principem
Natale non ducit à Venere:
Dignitas oris, morum honeſtas,
Quæuis alia ſpecioſior Venus,
Niſi ſit fœcunda Gratiarum,
Sterileſcit in Principe,
Nullius parens Amoris.

Amet Princeps, redamabitur:

Illius

Illius Amor eſt illex amoris mutui,
Pellex animorum.
E ſuæ potentiæ pharetra
Nullum iaculabitur telum acutius
Miſſili beneficio:
Dum proijciet dona,
Sauciabit dulciter corda.

Vin' Amori ſimile?
Adſum ECHO.
Loquere,
Non poſſum ECHO non loqui:
Sum vox reddituꝛa voci.
Clamet Princeps, Amo,
De Ciuium pectore cor reſonabit, Amo.

Amant, reuerentur, colunt,
Tantùm non adorant
IVLIVM SACCHETTVM
Sapientes,
Ceù cõſummatam ſuę fortunæ abſolutionem:
Indocti,

Non

Non dico, fiducia tutelæ,
Vt ſuam tegant inſcitiam:
Omnes,
Quoniam deſiderantur virtute præditi.

Eſt ſors ſapientis, ſi indigeat:
Maius obtinebit à IVLIO, quàm à Sorte.
Sors, ſi ſemel acciderit, incertus eris de regreſſu,
Transfugam ſe ſimulabit,
Ne videatur auara.
Sed tu inuidam crede,
Quæ, tuum bonum ne videat, vadat.
A IVLIO
Certius beneficium ſperabis
Bis, quàm ſemel:
Primus fau or eſt pignus ſecundi.

O Virtus, quot tui pænituiſſet poſſeſſores,
Niſi IVLIVS
Te feciſſet æſtimatione pretioſam?
Sæpius ingloria iacuiſſes in cæno,
Niſi eius gratia te eleuaſſet

Ad

Ad gloriam.
Vilebis nunquàm obſcura, ſi illi clarebis.

Ecquem vnquam cruciauit votorum inanitas,
Vel torſit expectandi patientia,
Si meruit?
Tam promptus erogat rogata,
Vt ſegniùs excipiat auara pauperies:
Retur damna cumulari docto,
Si diù rogando tempus inſumat.

Hilariorem videres, dum parat ipſe quæſita,
Oratore aquirente.
Quãtum intereſt facilem adire benefactorem!
Duplici ſubleuaris miſeria,
Timore, & egeſtate.

Abi, Docte, Abi
Ad IVLIVM;
Inuenies, quam quæritabat Diogenes
In Homine, Humanitatem.

Non

Non enim Homo quicunque Hominum,
Sed Vir pro Viro:
Oſtende te Virum;
IVLIVS humanitatem non abſcondet,
Quin abſcondat ſeipſum.
Non negabit gratias,
Doctrina probata:
Totumq; concedet,
Quod meritum aſſeret.

An extimeſcis,
Ne Maieſtati vicinus purpuræ
Erubeſcas expoſcere?
Sic habeto,
Eius purpuram tùm plus erubeſcere,
Cum non inuocatur.
Quicquid eſt in ſe auctoritatis, & gloriæ
Sibi imputat vilitatem,
Ni alij ſuam id putent vtilitatem.
Nollet colorum pulcherrimus videri,
Si ſolum eſſet videntis,
Non ſperantis delicium.

Eum alloquere,
Vt te cognoſcat:
Illius eloquium eſt Lydius colloquiorum:
Dictorum ſplendor, & grauitas
Indicatur, vt aurum:
Verborum leuitas vaneſcit in orichalcum.
Ab aurea ſcientiarum vena
Eius effluentes diſcurſus
Dialogo valorem impertiunt, & pretium,
Vt ſit tibi primum beneficium
IVLII
Diteſcere eruditione.

Cum te probarit Doctum,
Tace:
Præuenit ipſe pudorem tuum
Oblatis ad titulum debiti,
Vt ne graueris à gratia:
Donabit, ſed ſimilis reſtituenti.

Prior ipſe ſpondebit, prior dabit,
Quàm petas.

For-

Fortaſſis, ne videat mendicare Virtutem.
An, vt ante incipias eſſe fælix,
Quàm cupias?
Nondum ſupplex, & impetraueris:
Ab ipſo diſce docere,
Fauoribus non ſemper iungi
Artem difficultatis.

Non aduertes adhuc te indigere,
Et obtinebis,
Ne fias cum indigentiâ
Cogitatione miſerior.
Quid, ſi rogabis, accipies?
Recedes auctus beneficijs,
Quæ ne auſus quidem eſſes optare.
Continentior tibi appetitus habendi
Illi fuſior elargiendi cupiditas.

Non ita Sapientum fælicitati
Natura ſatagit,
Vti IVLII benignitas:
Iſta prouiſum bonum accelerat,

Quod tardior illa non prouidet.
Miram Principis Munificentiam!
Cui modicum videtur iuuare donatis,
Si quoque promiſſis ante non oblectet.
Ita producitur recepturi fælicitas.

Quicunque de virtutibus benemeritus eſt
Illius ſperet ſe æquandum amicis,
Quorum nullus non benemeritus.
Magnorum Principum
Vix amicum agnoſces.
Tantum amicitiæ laudi Maieſtas indignatur
Aequalitatis ob metum:
Interpretatur, ſe vulgari
Si Amat:
Satis, & nimis facere,
Si proſit.

Eminentiſſimo Noſtro
Carior eſt eruditus Amicus
Purpurâ;
Ille illi ſimilior:

Illa

Illa illius merito vilior.

Quod Regibus eſt rarum,
Ducit ſibi præclarum,
Si Doctis Amicus,
Si dicatur æqualis.
Aequalis autem ?
O verbi ineptitudinem !
Aequalis vndè,
Qui etiam ſepoſita purpura
Eſt Princeps Doctorum ?

Pergite Viri Ciues :
Deſudate Studioſi ;
Et ſi ad veſtrum profectum
Deſint Gymnaſia Bononiæ,
Quia tota ſit vnum Gymnaſium,
Contendite Romam,
IVLII SACCHETTI
Aulæ dicemini
Academia eſt.

Sym-

Sympoſia Socratis, Platonis Conuiuia,
Gellij cenæ, feriæ Macrobij
De literis, de re quacunque
Non grauius diſſerunt
Quam eius Aulici:
Adeo eſt Mæcenatibus curæ diuerſari
Inter lacrymas, & ſuſpiria,
Inter Marones, & Flaccos,
Conſummatos ſtudijs Heroas.

Pergite Ciues,
Deſudate ſtudioſi:
Sudores veſtri honores alunt,
Quos videbitis adultos in ſummo votorum,
Cum Mæcenas veſter
In ſummum aſcendet honorem.

IVLIVS CARDINALIS SACCHETTVS
Dum reget Orbem,
In Orbe, ſi fortuna regnabit,
Regnum amittet,
Vel cœcitatem:

Si

Si regnum retinebit,
Argus erit:
Immeritos, quos ſuſpexerat cœca
Oculata deſpiciet;
Benemerentes, quos non norat,
Diliget nouos vt oculos.

Hactenus loquebamur
Bononienſis Populus, & ECHO,
Vt dictis crederes
Hoſpes.
Quidni credas Doctorum multitudini?
Tot non falluntur.
Neque fallunt.
An fallaces fælices?
Tales & virtute propria,
Et tanti Principis tutela?
Sed, ne multiplicem fælicitatem,
Dicam, vna fælicitate fæliciores.

An mendacij ECHO conuincar?
Nullius conſcia commenti

Ne-

Neſcio mentiri.
In eo potes ECHO culpare,
Quòd breuis, propè muta, adeo mutila
Non omnia referens
Fraudaui attentionem tuam.
Deprehenſam culpam non tueor,
Fateor etiam:
Sum cadentis ſyllabæ ſonus
Orationis articulis impar,
Et verborum numero.
Nunquàm loquor, quin plura omittam.

Iam
Reprehenſa errorem emendo:
Sileo
De IVLIO SACCHETTO,
Ne, ſi loquar,
Alia taceam.